UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§. 16. Hodie mecum eris in paradiso. Hoc præstat Dominus latroni beneficinm quod Dauid Berzellai: non illud attendas velim, quo pœnitentiam in vlimum vitæ diem procrastines.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53092

Visual Library

§. 16. Hodie mecum eris in paradiſo. *Hoc præſtat Dominus latroni beneficium quod Dauid Berzellai : non illud attendas velim, quo pœnitentiam in vltimum vitæ diem procraſtines.*

44 O Ptima laudatur fuiſſe Dauidis mutua amicitia, cum fideliſſimo famulo ſuoque ſubdito Berzellai. Fugiebat Dauid extorris urbe domoque ſua gemens & afflictus ſæua nimis agitatus perſecutione maleuoli & ambitioſi filii ſui Abſalonis : ſolus oberrabat vagus: etenim eum amici maximè noti, & intimi familiares vertentes terga deſeruerant: incerti latis extinere fatigatus, animo fractus incedebat cum non eſſet qui oculos ſuos ad eum benignus deflecteret, ſed vt tantum eum ſannis irritaret & opprobriis, vt improbus ille ac ingratus cum petulanti lingua Semei ſubditus prouocauit. Hac tempeſtate & afflictionis hora, beneficus illi occurrit Berzellai, & refrigerium adfert panis, mellis aliorumque obſoniorum : tanti vero fecit hoc Dauid vt à cæde filii ſui, fuſiſque hoſtibus victor regreſſus in vrbem eum ad ſe vocauerit, cui ſic, *Veni mecum, vt requieſcas ſecurus mecum in Hieruſalem.* O amicorum integerrime, veni mecum, te volo collateralem, qui tanto me famulatu recreaſti, eo tempore quo ſiniſtra fortuna, & irato Deo ſolus oberrabam, vt mihi proximus ſedeas dum triumpho reuertor in vrbem glorioſo, & hoc ſtatutum eſt, perpetua te mecum requie potiturum in Hieruſalem. Ne verearis amice, ingreſſum, nullus etenim hunc tibi poterit impedire, Regi tuo collaterali. Notanda huius verbi geminatio : *Mecum. Veni mecum ſecurus mecum.* Idem hoc euenit latroni, eo namque tempore, quo maximum hunc Dauidem perſequebatur refractarius illi filius, populus inquam Iudaicus : quando & diſcipuli derelinquentes eum, fugam inierunt turpiſſimam, quando cuncti maledictis eum vellicant indigniſſimis, cupedias offert languenti latro confeſſionis integerrimæ. O amice cordis mei dulce refrigerium : *Amen dico tibi hodie &c.* Veni mecum in vrbem ſanctam Hieruſalem, ad ſtatum gloriæ pacis viſionis, vt æterna mecum requie potiaris. Veni mihi lateralis in paradiſum : nec eſt quod Angelum verearis igneum vibrantem gladium: illum etenim meo ſanguine patiens extinxi : nec ipſos dæmones, qui te ſibi prædam præſument arripere: nunc etenim meus es, vt te ducam mihi lateralem, oſtendens te ſeruum inter proceres optimatem [illegible] hoc quidem *Hodie.*

2.Reg.19.33.

I. Vox mecum expenditur.

Oſtendere voluit : vt docet D. Ambroſ. quàm libenter hoc conſerat beneficium, quandoquidem non differret eius conceſſionem vel momento temporis amplius quam ſit neceſſe, vt eius petitioni reſpondeat *Vberior gratia quam precatio. Ille adhuc rogabat, vt memoriſſet ſui, cum veniſſet in regnum, & Dominus cum nondum veniſſet, ei iam regnum cæleſte tribuebat. Quam velox miſericordia? Tardius [illegible] canis, quam remunerantis eſt præmium.* Non poteſt aliquis patentius oſtendere quam gratanter agat quod poſtulas, quam ſi rogante hoc poſt annum venturum exequatur, ipſe nulla interpoſita mora hoc tibi largiatur : *Ne dicas amico tuo Vade & reuertere, cras dabo tibi, cum ſtatim poſſis dare.* Te verum oſtendes amicum & integram probabis tuam amicitiam, ſi confeſtim tribuas; quod à te efflagitat amicus: etenim moram trahere & differre in aliud tempus indicium eſt animi minus bene affecti (inquit Seneca). ſed animus amore flagrans promptus eſt neſcitque procraſtinationem. Verba Chriſti [illegible] explicat D. Auguſt. *Hodie, inquit, tanquam ſi diceret. Quid me, o fideliſſime comes, & [illegible] tanti teſtis triumphi. quid me tantopere [illegible] dum putas, vt in die iudicij memineris tui? Quid me ad præſentem retributionem paratum in tempus tam longa diſſimulas? Quid in futura ſidem [illegible] perfectam ſatagas? Hodie mecum eris in paradiſo. Ergo tanquam hereditaria & Paterna ſedes, quæ expulſo Adam, clauſa eſt innumeris populis, latrocinante reſerabitur, Ingredere illuc primus, ſed ingreſſu feliciori, quàm primus. Intra paradiſum, nunquam cupid Adam vltra viſurus infernum, nullum illic cibum lethalem, nullam tam legem, nullam arborem pertimeſcas. Ego tibi illic ero [illegible] & vita. Et ne forte verearis, ne tibi aliquis [illegible] in illo beato nemore, ne antiquus ille latro inſidietur, poſſeſſio tibi illic me introducente firmabitur.*

Si fides Centurionis hoc meruit, vt confeſtim eius petioni ſatisfieret; ſi Chananææ fides obtinuit, vt priuſquam illa domum eſſet regreſſa, iam beneficium accepiſſet, ſi Reguli incredulus quia ſaltem aliquo gradu ſupplicauit humilitatis, ilico, quod petebat, aſſecutus eſt, quid ageret, qui fide cæteris eminentior confitetur, ſupplicat, cognoſcit, prædicat, ad Chriſtum confugit tanto ſeruus obſequio, & tali quidem tempore? Idcirco D. Auguſt. elegan-

D. Aug. … *Dominum qui mutus erat & ſurdus ad omnia contumelia, non fuit mutus aut ſurdus cum fiducia poſtulanti, ſed vociſſimo talis eum dignauit promiſſione, quali necdum quemquam honorarat; non ſimpliciter illi promittens, ſed inſolita aſſeueratione. Amen dico tibi hodie &c.* Hodie prior meis diſcipulis, prior meis Apoſtolis, prior mea matre, tam cito ac primates illi Patriarchæ, qui iam à millenis annis hoc longanimes præſtolantur: *Erunt enim nouiſſimi primi.* Quid hoc Domine, an latroni & quidem omnium quos mundus pertulit flagitioſiſſimo tale beneficium? Quid egit furciter hic nequiſſimus tanto fauore dignum? Patet hic, vt cum D. Auguſt. loquar quod Dauid in eodem pſalmo cecinit. Loquitur in eo de quibuſdam nebulonibus cœlo terraque indignis, qui toto vitæ curriculo truculentam mouerunt Deo perſecutionem: *Pro nihilo ſaluos facies illos*, & binas aſſignat ipſe declarationes. Prima: quod Deus ſalutem impertitur ei, de cuius ſalute minus ſperabatur: *Sic illos ſaluos facies, vt tibi ſit, id eſt, vt nullus labor tibi ſit. Hominibus deſperati ſunt, ſed tu verbo curas, non laborabis in curando, quamuis nos laboremus inſpiciendo. Secunda: Eſt alius ſenſus in hoc verſu. Pro nihilo ſaluos facies illos. Qui prius fui blaſphemus, inquit & perſecutor, & iniurioſus: Accipiebam litteram à ſacerdotibus, vt vbicumque inuenirem Chriſtianos, alligarem & adducerem. Nulla ergo eius bona merita præceſſerunt, de quibus ſaluaretur: imo talia præceſſerant, de quibus damnaretur. Nihil boni attulit, & ſaluus factus eſt. Pro nihilo ſaluos facies eos: non ad te aſferunt hircos, arietes, tauros, non dona & aromata offerunt in templo tuo. Non aliquid de conſcientia bona libamina ſuper fundunt, totum in illis aſperum, totum tetrum, totum deteſtandum & cum illi ad te nihil afferant, vnde ſaluentur: Pro nihilo ſaluos facies eos, id eſt gratis, data gratia tua. Quid ille latro attulerat ad crucem? De fauce venit ad iudicium, de iudicio ad lignum, de ligno in paradiſum. Credidit propter quod locutus eſt, ſed & ipſam fidem quis donauit, niſi qui iuxta pependit?* Si nihil igitur ex ſuo habeat, quo dignus efficiatur hic latro, niſi quod prius ad crucem venit mille ſordibus iniquitatibus, & Dei offenſis, qua ratione tanto Domine reddis illum dignum beneficio? Nam hodie quidem quo ille patitur mortem pro peccatis ſuis, hodie ipſum reddis poſſeſſorem excellentiſſimi omnium præmii, primumque pronuncies, qui mortis tuæ primitiis gaudeat: cum ipſe primus omnium in eius virtute ingrediatur cœleſtia palatia potiturus.

III.

Matth. 20.

An hoc primum opus, quod tuo reponis ſcrinio gloriæ ornamentum? An talem in regnum tuum admittis fœcem populi? An ſic infames, abiectos, & inquinatos, gloriæ tuæ conſecras primitiua, quæ in tuo ſpopondiſti Euangelio? Siccine tuum vilipendis palatium, vt illuc quadam prærogatiua ſingulari introducas eos, quos nec vulgaris quidem vir in domum ſuam admittere dignaretur? Non per hunc Dei palatium maculam contrahit, quinimo gloriam famamque acquirit, oſtendendo in eo regnare Monarcham adeo potentem, vt de luto ſtellas efficiat, & inferni titiones, in cœleſtes transformet ſeraphinos. Credamus in hoc D. Auguſt. *Chriſtus ſuam iſtam ingrediens patriam, ſecum latronem introducit, non conculcans paradiſum iſtius pietatis opere, ſed honorans, non confundens latronem introitu, ſed illuſtrans: honor namque paradiſi eſt, talem Dominum habere, qui etiam latronem dignum facere poſſit delicijs & poſſeſſione paradiſi.* Agit hoc (inquit D. Chryſoſtom.) vt paulo ante retulimus, vt duo perpendas beneficia nobis indulta. Primum: quod iam nobis aperiat paradiſum: cum iam in illum homines ingredimur. Secundum: vt tibi pateat, quod ſi latro venumdatus vt faceret malum ingrediatur ita Chriſto coniunctus, vt quaſi ſibi conſtituat illum collateralem *Mecum*, & cœlum eſſe pro peccatoribus verè conuerſis, & quamuis ſuperbia turgeas Luciferiana, & inobedientia recalcitres Adæ, inuidia flagres & homicidio Cain, luxuria polluaris Sodomorum, & ſordibus Gomorrhæ computreſcas, odio tabeſcas Saulis imo & proditor audias Iudæ ſimillimus: tanta tamen eſt effuſi in cruce ſanguinis efficacia vt ſi hãc tibi velis aſſumere, ac latronẽ imitari, magnus eſſe in cœlo poſſis. *Nemo eſt qui poſſit excludi* (ſic credo D. Amb.) *quando recepit eſt latro.*

IV. Honoratur cœlum ex latrone. D. Aug. Ser. 130. de temp. To. 10.

Ho 2. de cruce & Latrone.

D. Amb. In pſ. 39. Tom. 2.

Hanc in ſe feruentẽ excitabat D. Aug fiduciã: *Ecce plaſmator meus, multa rogans, qui nec pauca promerui. Fateor, heu fateor, non ſolum quæ poſtuli, non debentur dona, ſed multa & exquiſita ſupplicia. Animant tamen me publicani, meretrices & latrones, qui à faucibus hoſtis momentaneè eruti, ſinibus excipiuntur paſtoris.* Ideirco S. Mater Eccleſia, vt filijs ſuis animum erigat hanc eorum ori legendam impoſuit orationem.

D. Aug. Lib Medit c. 1. To. 9.

Qui Mariam abſoluiſti,
Et latronem exaudiſti,
Mihi quoque ſpem dediſti.

Nihilominus monet te D. Bernard, ne tibi hoc exemplum ſeruiat, vt tanto liberius tuis frœma laxes concupiſcentijs, vaces ſatis inhoneſtius impu-

V. Non ſtamen huic gratiæ fidendum.

impudicitiis, pœnitentiæ luctus in extremam reiiciens mortis horam; tibi certò perſuadens (quod verius dixero præſumens) tutum tibi fore remedium, ſi tunc ad alas confugeris cum felice hoc latrone, Saluatoris. Expendit D. Greg. hac vti verſutia diabolum, qua Princeps Sichimorum: tantam etenim adhibuit indefeſſus operam, vt Dinæ Virginis filiæ Iacob violaret integritatem, vt tandem optatis ſit potitus amplexibus. Vt autem miſera ſe corruptam fremit in profundiſſimam corruit animi triſtitiam & mœrore nimio conſumpta tabeſcebat. Adeſt ille blanditiis mœſtam ſolaturus, adducens aliarum exemplar, ſe primam non eſſe, nec fore poſtremam, damnumque illud pudoris pluribus patere remediis. Hoc verbis illis indicatur:

Gen. 34. 3

Triſtemque deliniuit blanditiis.

VI. Aſtutia diaboli qua peccatores decipit.

Hac arte ſibi præualet diabolus, quando per peccatum intemeratam abſtulit animæ gratiæ pulchritudinem: quam triſtis illa & mœrore contabeſcens, vt culpam ſuam attendit, damnumque ſibi per hanc illatum. Accurrit ille feſtinus, verbiſque demulcet conſolatoriis, ac fide ſpeque pleniſſimis, in memoriam reducit idem pluribus Dei electis accidiſſe, qui vel vnico cordis gemitu ſtatim ad veniam peruenerunt. Verba do D. Gregorii: *Cum mens à culpa reſipiſcit, & admiſſam flere conatur, corruptor ſpes & ſecuritates vacuas ante oculos reuocat, quatenus vtilitatem triſtitiæ ſubtrahat triſtemque delinit blanditiis: modò enim aliorum facta grauiora: modò nihil eſſe quod perpetratum eſt: modò miſericordem Deum loquitur: modò tempus ſubſequens ad pœnitentiam pollicetur: vt dum per hæc decepta mens ducitur, ab intentione pœnitentiæ ſuſpendatur &c.* Quoties Dauidis producit exemplum? Quam familiaris eſt ei huius latronis conuerſio? Porro notandum ex D. Bernard. verbum quo vtitur Euangeliſta hanc referens hiſtoriam: dicit enim *Vnus autem de his &c.* Vnus fuit, & ita vnus, vt in tota ſacra Scriptura alterum non inueniam, nec quem habeat hic primus ſecundum; *Si bene memini in toto Canone ſcripturarum vnum latronem inuenies ſit ſaluatum. Noli ergo huic tam periculoſæ exſpectationi credere te ipſum.* Improbi (inquit) quos in S. eloquio legis ſaluatos, illi ſunt, qui tempeſtiuè ad pœnitentiæ lamenta & quidem feſtinè conuerſi ſunt. vt Dauid, Manaſſes, Magdalena, Petrus, Paulus; nam ex peccatoribus, qui vſque in vitæ finem conuerſionem diſtulerunt, non tantos inuenies, ut multos ex eis in vnum poſſis coniungere.

D. Gre. Lib. Paſt. p. 3. admo. 30.

D. Ber. Ser. 38. in paruis.

N. 46

Hoc ore Dauidico Deus (ſecundum D. Bern.) de ſceleratis agens, quibus prægrandem ſuam patefacit miſericordiam, & voluntatis ſuæ beneplacitum, eos efficiendo pietate ſanctiſſimos ait; *Sanctis qui in terra ſunt eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis.* Sancti plures ſunt in terra vitæ meritis conſpicui, in quibus mirabilia Deus operatur, pro beneplacito ſuo, liberaque gratia. Et quales ſunt? *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, & poſtea accelerauerunt.* In multis grauiter offenderunt, multiplicati ſunt & aggrauata peccata eorum nimis: poſtquam primum ad cordis eorum oſtium Deus, inquit, pulſauit; agere pœnitentiam minimè diſtulerunt, & nedum illam in craſtinum reiecerunt, ſed ſi dici poſſit lacrymis ſuis, ſuſpiriis, ieiuniis, & mortificationibus eam accelerauerunt; *Accelerauerunt.* Quid ergo Domine numquid non multi qui vitæ curſum peccatis immerſi abſoluerunt, tandem in vltima vitæ periodo per pœnitentiæ dolorem veniam obtinuerunt? Non tantos inuenies, inquit Deus, vt magnum inde numerum componas, aut conuentum, ſed nec eorum conuenticulum; nam licet potentiſſimus ego ſim, vt vnico momento poſſim efficere, & hominem mutare de diabolo in Seraphim, verum tamen raro hoc ago in iis qui conuerſionem ſuam & ſalutem ad vltimum referuant vitæ terminum; tunc etenim citius peccata deſerunt, quam illi ipſa deſerant. Hoc innuunt verba ſubſequentia; *Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus. Quaſi dicat; Non dico quin & talium ſalutem aliquam, potens ſum enim in momento omnia renouare, ſed non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus, id eſt, quos in ſanguine perſeuerans, donec multiplicatis infirmitatibus deſerantur à peccatis ſuis, antequam deſerant ea non magna talium conuenticula congregabo.*

O periculoſam amentiam, cuius ſupplicium pœnæ ſunt æternæ, cum tota vita peſſimè viuit, Deum grauiſſimè offendat, ſanguinem eius conculcet, legem aſpernetur, promiſſa vilipendat, terriculamenta rideat; credat tamen ſibi certo adfuturum Dei in hora mortis auxilium. Quid ergo, an tibi perſuades vnico momento te poſſe retrogradi paſſibus, quot tot annis progreſſus feciſti? *Quid diſſimulant homines in vita ſua agere pœnitentiam, & extrema de tanto ſibi præſumunt? Quomodo in vnius horæ articulo eradicari poſſe æſtimant omnia animæ membra, cuius concupiſcentiæ, & deſideria per totum mundum ſparſa ſunt, & vbique terrarum, velut quædam viſcera tenentur.* Ne, precor, exemplo fidas latronis conna

etiam vnus fuit, in quo per infinitam ſuam operatus eſt Deus miſericordiam effectus vireſque Paſſionis ſuæ ac crucis oſtentans: quamuis autem illi facile ſit in omnibus, quod in hoc, operari: porro cum videamus quam raro hoc faciat prudenter docemur, imprudentis fore conſilii, prætendere vt in ſingulis efficiat peccatoribus, quod in hoc dignatus eſt miſericorditer operari: *Noli hunc tam perieuloſa exſpectatione credere tripſum. Et quidem ſpiritus non modo vbi vult, ſed quando vult ſpirat, nec ei difficile eſt tibi ſubito dare perfectam cordis contritionem, quam vix multo tempore alij conſequuntur: ſed vnde ſcis, quod tunc tibi ita ſubuenire velit, quam tu iterum ſic e pellis?*

VIII. Voluntas Dei ad... Gratiam admiramur omnino ſingularem, quam huic benignus impendit; ne quæſo ex operibus gratiæ regulas tibi præſcribas iuſtitiæ. Si latronem hunc beatum interroges, qua ratione tam modico tempore tantam potuerit gratiarum donorumque cœleſtium abundantiam inuenire, reſpondebit tibi, quod Iacob Iſaac patri ſuo: cum enim Iſaac à filio ſuo Eſau rogaſſet, vt abiens in agrum venatu feram ſectaretur, & palato ſuo gratiſſimum condiret, pararetque conuiuium, quatenus paternam illi benedictionem impertiret, & cum illa primogenituram: ilico Iacob minor filius epulum obtulit illi matris induſtria præparatum: obſtupuit ſenex tam breui tempore, feram captam & quidem ita guſtui ſuo ſapidiſſimam, inquirit igitur: *Quomodo tam cito inuenire potuiſti fili mi?* (Gen. 27.) Cui Iacob: Pater mi piiſſimæ Dei voluntati hoc adſcribimus: *Voluntas Dei fuit, vt cito occurreret mihi quod volebam.* Hoc nobis latro reſpondet, venator feliciſſimus, qui ſorte beatiſſima in monte Caluariæ venatus eſt. Venatus eſt non in myricis arentibus, terræque pratis, ſed in pectore cordeque Chriſti, omine ita dextero, vt ...eſtha ſanctos, opeſque Dei breuiſſimo tempore ſic comprehenderit: vt dicatur ei: *Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiſo.* Si ab illo percunctens: qui fieri potuerit, hoc in breuiſſimo ſpatio, vltimaque hora? Reſpondet: *Voluntas Dei fuit &c.* Noueris hoc frater, ait D. Bernard. & alta id retine memoria, cuius te Deus admonet, quod quamuis Dei ſpiritus benignus ſit & miſericors: non tamen velox accurret maledictum erepturus ab offenſa, quam labiis ſuis illi irrogat: *Benignus quidem eſt ſpiritus ſapientiæ, ſed non liberabit maledictum à labiis ſuis.* Quis ille maledictus? Et quodnam eſt labiorum eius crimen maledictum? Reſpondet, ille qui vitam ſuam operibus impendit flagitioſis, & verbis aſſerit, Deum benignum eſſe, quam primum etenim me conuertero, pius ignoſcet mihi nam peccatoribus in exemplum hunc præfixit latronem: *Audiquis ille ſit? Maledictus qui peccat in ſpe.* Verum eſt nec diffiteor (inquit D. Auguſtin.) in hoc latrone manifeſtè demonſtrari, quam breui tempore quis poſſit ex peccatore peſſimo mutari fierique ſanctiſſimus, ſi ſuam mutauerit ipſe voluntatem: *Hæc conuerſio voluntatis repente mutauit in cruce Latronem: ſiue enim ad malum ſiue ad bonum paruo momento animus commutatur: ſed non ideo paruum eſt, quod mutetur.*

D. Aug. Lib. 2. contra Creſ. con. Grammat. c. 9. Tom. 7.

Porro quam arduum ſit & plenum laboris opus momento mutari voluntatem, toto vitæ decurſu radicatam, vnique rei tenaciter affixam & quam incertum ſit Dei ſubſidium huic apprimè neceſſarium alias explicauimus. D. Gregor. Nyſſen arbitratur inde latroni omne bonum aduenisse quod Chriſto vicinus in cruce adhæſerit, non tam corpore quam ſpiritu, viua fide, ſpe certa, & charitate inflammata; atque vt ait Diu. Ambroſ. & heri expendimus, inde D. Petro omne malum, quod à longè ſteterit Chriſto iam ligato: *Sequebatur à longe.* Chriſto in cruce appropinqua, illi colloquere, ſpinas eius patere, teipſum cruci tuæ affigas pœnitentiæ, eo modo ut tuis reſpondeat iuſta peccatis, vt toto corde fatearis: *Digna factis recipimus:* Plora, & à Domino poſce miſericordiam ac gratiam: quam tibi per piiſſimam ſuam largietur miſericordiam, per quam perpetuo illo in gloria regnoque ſuo perfruaris omni ſorte beatiſſimus. Amen.

Orat. de 40 Mart.

Lib. 22. in Luc.

Luc. 23. 54.